

C V D

A I G G

T 5 9 6

99



C. e. 88

Wynke Dyck


01

0

Me

~~2 N. 28.~~

II 2. c. 28





AB 154299






IO. CASELII
SECVNDVS LVHIADES,
qua oratione laudatur
HENRICVS, & ipse eius fa-
miliae princeps.



Helmæstadij in Acad. IVLIA
ANNO

clb lb XCII.



ANNO
MDLXXII

257





IO. CASELII

SECUNDVS LVHIADES,

qua oratione laudatur HENRICVS,

& ipse eius familiae prin-
ceps.



Vod iactatum olim fuit, Athenienses Athenis laudare, facile esse; id si quis de vniuersis ciuibus dictum arbitretur, haud falso dictum iudicem. Quisq; enim eas laudes ita accipiebat, vt aërem Atticum. Nemo enim non sibi persuadebat, quidquid diceretur, non minus ad se pertinere, quam ad primos & præstantissimos. Itaq; æquis animis omniq; inuidia vacuis audiebant huiusmodi oratorem, nisi supra modum ieiunus fuisset apud dicendi existimatores acerrimos, & artis quasi propriae peritissimos, vt sic quoq; laborandum oratori fuerit, scrutandæ pigmentorum orationis arculæ, dicendi veneres vndecunq; conquirendæ: ne quamuis argumen-

A 2

tum de:

tum delegisset gratum, quo facile omnibus
placeret, oratione displiceret, atque laudem
dicendi, quam venaretur, amitteret. Quod si
verò quis vnum aliquem ex tot millibus sibi
laudandum proposuisset; is tum cæterorum
omnium non iudicia solum, sed etiam inuidi-
am susciperet. Equidem cum verbum hoc,
apud animum in omnes partes versatum ac-
curatius considerassem; constanter dictum
fuisse & verè, non potui deprehendere: etsi ab
eo quoq; profertur absq; reprehensione, quem
reprehendere graue sit & vix ferendum. At
verò fieri potest, vt quæ multis etiam sint faci-
lia, mihi graua sint: ac sunt multa, ni fallor,
plærisq; graua, quæ quidem aut diuino inge-
nio præditus, aut rem non expertus, habeat in
facillimis. Mihi ad dicendum accedenti
multa obuersantur, quæ animo meo molesti-
am pariant, & difficultatis non parum habere
videantur, etiam in hoc genere: quod, quia
peruulgatum est, facile esse creditur, laudatio-
nis munere ita perfungi, vt omnibus satisfaci-
as: ipse ingenuè fateor, me neq; mihi, neq; rei,
nedum existimatorib; omnis generis potuisse
satisfa-

satisfacere. Proinde lentè etiam ad hoc munus accedo: quod tamen suscipiendum interdum est officij causa, præsertim si & hoc à me amici flagitent: quibus tamen ipse neq; omnibus morem gero, neq; si velim, queam, neq; omnibus nego. Sunt quibus promiserim, & longo iam tempore debeam: nec non interdum cogito, quemadmodum id æs alienum persoluam: in quo tamen mihi accidit, quod debitoribus, bonæ quidem illis fidei, sed in re facienda parùm felicibus. Verùm vita modo suppeditet, fidem meam liberabo: neq; patiar, vt quod in me receperim, qui non me solum, sed multos mortalium meritis singularibus sibi deuinxerint, ijs in perpetuum debeam: etsi illa eorum virorum, merita, me tacente, cùm per se, tum prædicantibus alijs, clara sunt. Nunc agam, quod cum in animo ab initio haberẽ, amici alij expetiuerunt, expectant alij, quod fat scio. Cùm enim mihi nunciaretur, HENRICVM LVHIVM, diuturno & graui morbo oppressum, decessisse, quòd futurum præuideramus, siue metueramus; non nego me ex amici obitu dolorem

accepisse. Homo enim non sim, nec amicus fuerim: nec intelligam, quem virum amiserit res publica. Sed cogitanti, quod ratio primum, deinde usus vitæ me docuit: hæc esse humana, & ipsa unicuique nostrum toleranda, cuiusmodi sint: eaq; agenda, quæ sint officij superstitum: quæq; alij reliquerint, in ijs nobis, vt in stationibus vitæ relictis, laborandum. Sic enim etiam, quodcunque sit moris minuamus, siue condiamus, ne nos perpetua amaritie suffocet. Nec alienum à nostris partibus iudico, si in eorum, quos desideremus, vitam, actionesq; nos referamus, & inde vel nobis, vel alijs proponamus, quæ vsui esse possint. Sic enim fortè etiam aliquod præmium virtuti persoluitur, quæ & narratione vera explicatur, & orationis splendore illustratur: quorum ego illud, vera vt referam, religiosè præstabo, ornamenta, quæ expectari cum primis solent, polliceri non habeo: & lectorem mihi æquum futurum spero, si mediocriter exsequar, quod mihi propositum esse intelligitis. Est autem HENRICVS è LVHIADVM familia secundus, de quo nunc
verba

Verba faciam. Laudavi namq; IOACHIMVM Rostochij, & omni genere primarum virtutum ornatissimum demonstraui, quibus & comparatur, & viuit floretq; nobilitas. Erant in illo viro, ingenium, litteræ, officium, beneficentia, religio, prudentia, labor, industria, cum humanitate comitas, in verbis & vita veritas, amicitiae studium, in negotijs & priuatis & publicis consilium, in omnibus felicitas. Eas, cæterasq; laudes agnati, legit HENRICVS libenter, mihiq; eo nomine gratias statim per litteras, & deinceps in sermonibus nostris aliquoties egit, visusq; mihi fuit, non tam vnus suæ gentis laudibus, quàm ipsis virtutibus delectari. Non enim erat, cur simplice oratione mea caperetur, cuius tamen ille filium non prorsus improbabat. Sciebat etiam futurum, vt si me viuo sibi quid humanitus accideret, me facturum, quod esset amici partium. Benè enim ad posteros etiam audire boni desiderant. Nec defuere ex amicis, qui me hoc officium sibi flagitarint: iamq; alijs iusta feci, alijs facere in animo habeo. In illa oratione dixi de Megapoli: dixi de Luhiorum

rum



rum familia perquam nobili. Namq; gens
ipsa peruetus est, de cuius origine ad nos nihil
peruenit, quo vetustior habetur, si quid modò
anni, vt putatur, adijciunt ad genus: & fuit ab
hominum memoria in ea prouentus bono-
rum virorum & fortium: & sunt hodiè viri
boni, seduli patresfamilias, fortes equites, iu-
uenes eruditi litteris, quòd facile pluribus o-
stenderem, si aut quis dubitaret, aut ego per
pudorem tum meum tum ipsorum viuos lau-
dare possem. Hoc enim etsi aliquando rectè
fieri potest, tamen non absq; suspicione adu-
lationis sæpè committitur. Ipsi autem populi
in littore Baltico: nec finitimos verò excipio,
sed hic de Megapolitanis potissimum loquor:
cùm vetusti sunt, tum semper item & fortes
habiti & constantes. Namq;, vt prisca tempo-
ra verbo attingam, non fuit facile HENRICO
LEONI, eas gentes bello coërcitas ab inue-
teratis falsisq; fictitiorum numinum cultibus
ad inuocationem ynius seruatoris omnium
traducere. Nec verò tantos populos sub iu-
gum misit vnquam, sed in veram libertatem
asseruit, sibiq; in perpetuum deuinxit, cum in
istis

istis locis non tam victoriarum, quàm pietatis, quàm beneficentiæ vestigia impressisset, siue earum signa statuisset: atq; ea manebunt quamdiu erit religio, quamdiu humanitas. Simul quoq; tum affulsi boreæ vniuerso quædam quasi aurora litterarum: quæ deinceps ita exortæ fuerunt, vt hoc seculo in ipso claro meridie constitutæ videantur. Nec verò rem manifestam, & alibi prædicatam, vberius attinet persequi. Bonorum namq; & fortium & eruditorum virorum ibi non est penuria: & indies magis magisq; Megapolitani omnium ordinum filios ad virtutem educant, & hominibus doctis omni genere liberalis doctrinæ expoliendos tradunt. Itaq; fit, vt Megapolitanos non tantùm in patria, sed passim per imperium florere videas, & in rebus priuatis & publicis magno esse vsui, sine inuidia, vel cum ea minore. Quis enim à sese omnem declinauerit? Inuidiam enim profectò facilius vel opprimit vel minuit, qui virtute & prudentia res magnas administrat, quàm cui non nisi orationis copia suppetit. Videmus namq; alijs hoc natiuum esse, quod alij magno studio sectantur,

B

ctantur,



stantur, vt disputando & dicendo antecellant
cæteris, de victoria magis solliciti, quàm de
veritate & integritate vitæ. Sed gentes inter
se comparare non instituiam, nec suam cuiq;
laudem eripiam. Illustris omninò est HEN-
RICI patria, genus cum primis nobile: nec
de eius maioribus addam amplius. Eius pa-
ter OTHO, in Telecano habitabat, potissi-
mùm agriculturæ & cæteris rei familiaris par-
tibus magno studio incumbens: nec officij
negligens: colebat vicinos non solum gentis
suæ, sed alios quoq; viros nobiles: ita iustè vi-
tam agebat; vt ex facilitate officiorum non le-
uia ipse incommoda acceperit: à consuetudi-
ne aliorum se non abducebat: veteres sodales
& æquales amabat: quotidie aut eos accipie-
bat, aut cum ijs erat. Erat, credo, illud sæcu-
lum hilarius nostro, aut, vt hodie pauci ita vi-
uunt, ita illud conuictus studium olim quoq;
non fuit, nisi inter paucos & bonos. Facetus
verò idem fuit & falsus: quòd cum ex alijs ac-
cepissem, ipse quoq; olim expertus sum, cum
ad Basseuitios in illam viciniam fortè venis-
sem. Hinc licet cuiq; ingenium viri & ani-
mum

mum existimare: quòd si ipse quoq; in litteris
fuisset educatus, non passa fuisset resp. domi
priuatum delitescere. Itaq; non exemplis
tantum aliorum (eo enim tempore erant, qui
filios erudiendos curarent bonis litteris, cum
quòd doctrinæ necessarium vsum in vita vi-
derent, tum quòd dux IOANNES AL-
BERTVS iterum præiret populis suis, vti
paulò ante fecerat dux MAGNVS, præsul
Suerinensis episcopæ, de quibus alius dicendi
locus fuit, & erit deinceps alius.) sed suo
quoq; consilio, in liberis sarcendum putauit,
quo in se ipse desideraret. Iussit filium HEN-
RICVM imbui Latinis litteris, sine quibus ad
cætera aditus hodie intercluditur, & initijs
bonæ doctrinæ omnis generis. Felix fuit ille
puer in vtroq;, siue potius in hisce omnibus:
quòd præstabat æqualibus ingenio: quòd ha-
bebat patrem non magis studiosum domesti-
ci commodi, quàm educationis liberorum:
quòd nactus erat magistros, quorum opera &
rectè & fideliter excoleretur. Prima littera-
rum elementa didicerat ex pædagogo dome-
stico: ijs benè perceptis in vicinam academi-

am puer missus fuit. Non possum facere, quin
hic bonum siue genium siue fatum Rostochi-
ensis academiae prædicem, idq; annorum plu-
rium. Antè enim etiam, quàm eius emenda-
tio & instauratio instituta fuit à benignissimis
ducibus, germanis IOANNE ALBERTO
& HVLDERICO, in eum locum præstan-
tes viri alij aliunde vltro se contulerunt, siue
secuti, quod cuiq; opportunum esset, siue illo,
vt vulgò loqui solemus, fato: quorum in haud
magna etiam illius temporis frequentia, alij
domi docebant, alij publicè: alij alias bona-
rum litterarum partes, alij initia iuris, alij ar-
tem medicam. Inueniam alium aliquando,
magisq; idoneum locum, quo præcipuos è te-
nebris eruam, & de eorum doctrina & indu-
stria referam, quæ boni inuidiæq; expertes li-
benter cognoscant. Sed erat in ijs, cuius sæpè
memini, vir idem sincerus, multa bonaq; do-
ctrina præditus, in docendo facilis, in scriben-
do disertus, in priscorum monumentis benè
versatus, ingeniorum informator industrius,
ARNOLDVS BVRENIVS. Primum
is respectum habebat ad animum & mores:
nec

nec prius iubebat cæteris doctrinis incumbe-
re & linguam expolire: cæteros non conte-
mnebat, sed quotidie præ omnibus habebat in
ore Stageriten & Arpinatem: hos plurimum
vidisse, rectissime locutos, disciplinæ suæ a-
lumnis decantabat. Sic enim mihi antè,
quàm Rostochium ipse veni, ex illis aliquot,
sodales tum mei, retulerant, ac ne negem, ad
vtrumq; studium ea ratione colèdum, me ex-
citarant. Magis id cognoui postea ex priuatis
optimi senis sermonibus. Tum enim grauita-
te annorum & morbi docere desinebat. Et
verò principem Megapolitanū **MAGNUM**
informarat, cuius sapientiam & eloquentiam
nos quoq; in loco prædicauimus: nec quis-
quam fuit, auditorum **BVRENI**, quin ad
bonam frugem, & quod homines spectant,
ad honores peruenerit, & quod boni viri pri-
mum iudicant, vsui & ornamento patriæ fue-
rit. In eo igitur **HENRICVS** felix fuit cum
æqualibus: nec minus deinceps. Rostochio
namq; se Vitæbergam conferebat bono iam
profectu, & ad vberiores ingenij profectus
multò paratior: erat eo loco prima auctoritas

B 3

PHI-

PHILIPPI MELANCHTONIS: nec
fanè quis eo tempore feliciter absq; hoc ma-
gistro se operam nauare litteris putabat: nec
erat de nihilo hæc opinio. Erat enim PHI-
LIPPVS primus ad cultiores litteras, omnisq;
generis disciplinas dux & magister Saxonum:
tam benè de nobis omnibus meritus, quàm
multi ei malam gratiã retulerūt. Ingratos au-
tē erga eum plures exstitisse nihil mirum: quā-
do plerisq; curæ erat, non quomodo imitaren-
tur præceptorem, atq; euaderent doctissimi &
optimi, sed quomodo ex eo quædam accipe-
rent, quibus instructi facilius se ad honores e-
merfuros & diuitias comparaturos confide-
rent: cum ille neq; his de rebus doceret, nec
quæ quotidie doceret, ad illos fines quem-
quam referre pateretur: sed quæ de his, deq;
alijs viri sententia fuerit, cū scriptis, tum æ-
quabili vitæ tenore declarauit omnibus, non
minus quàm hoc olim fecit Socrates, vt de eo
memoriæ fuit proditum. Deridebat & PHI-
LIPPVS, à quibus contemneretur, aureaq;
gloria diffluere facilè patiebatur alios, signaq;
ipsa splendoris auersabatur: cū posset facilè
ditesce-

ditescere, cui petenti nihil negaretur, non solum non inhiauit auro, sed oblatum aliquando repudiauit: quæ ipsi dono missa fuissent, eorum vel nullam vel minimam partem sibi seruauit, plæraq; impertiuit alijs. Me non pœnitet, nec HENRICVM pœnituit, talem magistrum audijsse, qui itidem animum formare & linguam, cum doctrinæ copia, tum exemplo poterat. Sæpè autem ille nos hortabatur, vt quorum ipse initia fideliter depromeret, porrò ea perdiscerent auditores: sæpè non aliud docebat, quàm vt in conspectum collocaret, quæ discenda deinceps forent; neq; verò mirum est, si in hac quoq; parte paucos dicto audientes habuit. Non enim nouum est, neq; huius solum sæculi, neq; nostrorum tantum hominum: sed penes paucissimos mortalium semper fuit cultura constans virtutis & sapientiæ: neq; hæc ratio mutabitur, etsi nos omnem lapidem moueamus: nec tamen non hoc agemus, vt de multis aliqui veros fructus ex litteris capiant, eosq; cum alijs, cum benè dicendo, tum benè faciendo communicent. Nos, quorum ingrauescens
iam

iam ætas, aliquem progressum fecimus: alij se
deinde conuerterunt aliò. Tum quoq; HEN-
RICVS nec studio eloquentiæ neglecto, nec
omissa historia, se ad legum disciplinam con-
tulit: quòd iure Romano non solum priuato-
rum lites, sed etiam grauissimæ controuersia
de republica disceptantur, & rectissimè deter-
minantur: taceo quòd hic gradus est ad hono-
res, & alia, quæ honoribus comitantur: quo-
niam sapientes non quidem hæc pro rebus ni-
hili habent aut reijciunt, quibus tamen prin-
cipem locum haud designent. Cùm autem
ille se non ad forum tantum, sed multò magis
ad capeffendam reipublicam pararet; coluit
ea quoq;, quæ ante dixi, grauissima studia.
Intellexerat eloquentiam esse necessarium
instrumentum politicæ, illamq; pro eo habe-
bat, vt est: nec rectæ orationis formæ studi-
um sibi negligendum ducebat. Nec fuit igi-
tur solum in nostra lingua disertus, quam ego
esse tantam laudem sentio, quanta inde pro-
manat utilitas: sed & purè Latinè scripsit, &
copiosè, si vellet, vt de eius prudentia, qua
præditus erat vt in agendo, sic inscribendo,
nihil

nihil dicam. Non solùm enim qua lingua
vellet, cum amicis familiariter, de quibusq;
rebus conferebat: sed sunt etiam eius apud
me eiusmodi litteræ, quales ab homine occu-
patissimo, & rarò ad scriptores Latinos respi-
ciente, vix aliquis expectaret. Pro politica
habebat historiam, nec opinione fallebatur.
Certè enim rerum gestarum libri exemplis ea
docent, quæ omnibus rationum vestigijs in-
dagata, & vix tandem eruta tradunt sapientes:
nec verò etiam horum monumenta asperna-
batur: quin & ex poëtis multum quotidie vti-
litatis capiebat, tum ad vitam hominum co-
gnosendam, tum ad animum moresq; infor-
mandos: diuino vsus consilio, longèq; diffe-
rente ab instituto nostræ iuuentutis. Plæriq;
enim in laude ponunt cætera omnia ignorare,
& rectâ ante annos sine litteris respiciunt ad gu-
bernaculum ciuitatis. Itaq; fit vt vel spe arro-
ganti excidant, vt merentur, vel eius facti
compotes & publicè & priuatim & sibi & alijs
& patriæ, exitio sint. Præter autem ea, quæ
dixi studia, HENRICVS prima iuuenta
initijs iuris benè imbibitis, in academiam In-
golsta-

C

golsta-

golstadianam se porrò contulit, vbi iuris di-
sciplina in Germania potissimum florere per-
hiberetur: eratq; credibile, quòd ex media Ita-
lia viri iuris consultissimi eo loco cum laude,
magna auditorum frequentia, docerent. In-
golstadij etiam ille me aliosq; de nostris fami-
liaribus accipiebat: nec solùm nos ibi perami-
cè profecutus fuit, sed etiam paullò pòst secu-
tus in Italiã. Idem eo tempore consiliũ ratio-
ne & exemplis ceperamus. Est enim res non
noua, sed vsurpata multis sæculis, vt quẽadmo-
dũ olim Romani homines capiendi cultus in-
genij gratia se in Græciã, & Athenas potissimũ,
tanquam proprium Musarũ domicilium, seu
sacratissimum Mineruæ templum, conferrẽt,
ita qui Cisalpinarũ gentium ad singularẽ do-
ctrinæ virtutisq; laudem aspirarent, in Italiã in
paucos annos concederent. Quod si nihil præ-
ter opinionem aliquam adderet in vulgus, id
consilium, quando mea nihil prorsus interest,
primus improbarem. Nec verò obstare arbi-
tror, etiam si nonnulli ex ijs, qui temerè & an-
te tempus adeant longè distitas regiones, do-
mum nihilo meliores, alij etiam deteriores re-
deunt:

philog

deunt: quorum illud oscitantibus vel Italiam
non nisi salutantibus, alterum ibi in volupta-
te delitescantibus euenire necesse est. Proin-
de rectè monuit, nescio quis sapientum apud
veteres: qui peregrinationi incumbat, cum
oportere virtute iam præstare, & ab eius stu-
dio in neutrum latus deflectere. Vt autem ex
hortis nullus est, ex quo herbas odoratas & sa-
lubres, vel fructuum aliquid nequeas decerpe-
re, sed in ijs, quos manu sua Cyrus conseruisse
dicitur, vt de fabulosis nihil dicam, omnia
eximia, & præstantia & multitudine inuenias:
sic non diffiteor, ex alijs item regnis, quæ bo-
nis moribus & legibus æquis reconstituta sint,
qui hoc agant, domum referre, quæ in vita
priuata & publica vsui sint. Verùm mihi Ita-
lia ad quarumq; artium siue disciplinarum
perfectionem, ad morum elegantiam, ad ani-
mi probam informationem, ad vsum deniq;
ciuilis consuetudinis, conferre mirificè vide-
tur, facileq; hoc magisterio quascunq; gen-
tes superare. Verùm ad nos redeo: Bononiæ
deinceps viximus familiariter, iactis ami-
citæ fundamentis, quam ille mecum coluit,
C 2 quam-

quamdiu vixit, & ipse adhuc colo, non obli-
uiscens hominis, qui siue vnâ essemus, siue
spatijs locorum disiuncti, me nunquam ex a-
nimo dimiserat. Eadem porrò, aut certè non
diuersa studia colentibus (respiciebamus e-
nim potissimum vitæ ciuilibus rationem, etsi ipse
in Græcis disciplinis, ad quas ab initio magis
me retuleram, perseuerabam) non prorsus
idem propositum fuit: ego ab otio, in quo ta-
men in hunc diem ferias non ago, mihi decli-
nandum non putauit: ille rectâ contendit ad
negotia, quæ maxima tractantur in regijs.
Me quidem etiam non in vniuersum aulæ ex-
pertem fortuna fecit: in quo vitæ genere, quæ
& cognoueram & in alijs videram: de ijs dein-
ceps neq; mihi neq; cuiquam dubitandum ef-
se perdidici. Etsi verò illa perbenignè mecum
egit: tamen nec me tenere, nedum iterum ad
se pellicere potuerit. Non solum cogitabam
hoc quod res est, & me non esse ea firmitate
corporis, neq; ijs instructum omnibus, qui-
bus opus foret ijs, qui ibi perdurare decreuis-
sent: sed & alterum item admodum graue, vt
de sexcentis vix vnum beet, & quem beare vi-
deatur,

deatur, mirificè interdum afficiat: de quo ali-
us fortè loquatur atrocius. Idem verò cùm
publicæ vtilitatis caussa deserui regias & vrbes
non oporteat, laudo eos, qui omnibus rebus
necessarijs pulchrè instructi, se ad reges & dy-
nastas & ciuitates conferunt. Nam quos eò-
dem casus agit, aut cupido vel opum vel ho-
norum impellit, de ijs non dico: quorum ple-
rosq; perire necessarium est, nisi cum pericu-
lo primum cautè nauigare discant in medijs
fluctibus: etsi non vt in nauì, sic prorsus in pa-
ri omnes versantur discrimine. De me dicam,
quod modestè mihi facere posse videor, non
aliud, nisi quod genus vitæ mihi sumpsi & co-
lui, eius me minimum vt pœniteat, nihil mihi
caussæ accidisse: LVHIVS autem hic no-
ster, nec studia temerè instituit, ijsq; animum
à pueritia ad ætatem vsq; virilem plenè infor-
mauit, quæ plæriq; primoribus labris degu-
stasse, sibi satis habent: nec genus vitæ sine
consilio adiit, quod semper spectauerat:
quodq; non solum corpore, quo fuit firmo, &
animo, quem habuit excelsum, sed etiam ar-
te (est enim eius non minus, quàm guberna-
toris)

torix) sustinere posse videretur. Non prorsus
vsu rerum carere putandus erat, qui sedulo
quoq; animaduertisset, quæ quomodo hodiè
passim gentium gererentur: accedit, quòd &
Spiræ diu substiterat, quod imperij tribunal,
quasi quidam est Arcopagus Germaniæ: nec
tantum iustitiæ templum, sed etiam pacis of-
ficina. Venit autem siue redijt potius virili æ-
tate, ad principem IV LIV M, ducem Brun-
suiig. & Lunæburg. qui meditaretur adhuc
animo imperium. Nam pater adhuc erat in
viuis, dux HENRICVS, ducis HENRI-
C I filius, vnde ille minor audiebat: annis con-
fectus & exercitus calamitatibus: quas tamen
partim mira rerum vicissitudine, partim ma-
gnitudine animi peruicerat. Erant principis
IV LII aulæ incunabula eiusmodi, vnde
qualis futura esset adultior facile appareret:
Erat ipse princeps nec parcus, & seuerus. Eua-
sit ea aula, quàm nemo, nisi oculos sapientiæ
in fronte haberet, pedibus tutò calcaret. Sed
quod mare, cuius etiam prædicatur tranquil-
litas, vacat omni periculo? quæ regia? quæ
deniq; ciuitas? etsi hoc minimum videri solet.
Fecit

Fecit HENRICVS, & adueniens & deinceps, vt gratus esset principi, non affectata morum suauitate aut sermonis comitate: quod esset humanus ipse quidem, sed natura minus blandus. Fingit enim hæc, vt vult, hunc hilariorem, tristiorem alterum, alium celeriore, tardiore alium: alicui plus ingenij, est, cui plus tribuerit animi: paucos eloquentia præstantes, neq; multos rebus præclare gerendis fingit idoneos: exuere in vniuersum, quæ cum quiq; nata sunt, nemo: ijs qualia sunt, si recta sunt, vti vnusquisq;: si quid vitij habeant, sua cura emendatis, aut aliquantulum deflexis, potest. Difficile est determinatu, seueritasnè, an humanitas, plus conducat in vita mortalium: etsi esse in vno ambæ posse, omnino debere, videantur, qui operæ pretium facere in repub. velit: verum vtra, & quibus ea aduersum quos, quoq; loco & tempore, vtendum potius sit, manet in controuersia: nec facile, arbitror, oratione cuiusquam explicari possit, mea verò minimè. Sed agam potius, quod institui. Nec omnibus ille, neq; semper placere potuit: neq; id
studuit,

studuit, neq; rectè studere quenquam censu-
it: quin omnes iudicamus, nihil in eo graue
esse, si quis displiceat malis: neq; adeò referre,
si quis non admodum placeat perperam iu-
dicantibus. Nec enim aut princeps aut sena-
tor se ad voluntatem malorum referre possit
aut debeat: neq; hic potētiorum stare iudicio.
Hinc efficitur, vt etsi probos offendere mini-
mè: tamen iisdem à vero aberrantibus non
assentiri, sed cum ratione & beneuolentia ad-
uersari omninò debeamus. Quod si in vita
domestica, quanto magis obseruari oportet in
repub. ? Id si absq; offensa rarò fit, non iccir-
co negligendum est: præsertim cum illa vt
plurimum apud quosq; non malos breui eua-
nescat: quod si etiam radices in cuiusquam
animo egerit, parui pendendum est: & parui
facere omnino potest, qui non nisi boni ani-
mi & recti consilij sibi conscius est: præsertim
cui in mentem simul veniat, & eos, qui omni
etiam optima ratione totarum gentium gra-
tiam aucupentur, tamen aliquorum inuidi-
am subire & inimicitias. Sic in vita compara-
tum est, vt non minus amara sint gustanda,
quàm

quàm dulcia: non minus sentiendæ tenebræ,
quàm spectandus ipse sol: toleranda quorun-
dam animi auersio perinde, vt aliorum bene-
uolentia fruimur. Ad vtrumq; se parauerat,
vt cùm animos hominum optaret beneuolos,
ferret immeritò sibi infensos, vel flocci face-
ret. Neq; non sunt in repub. dissentientes a-
nimi, quos concordēs in ipso fine sentias: quē
quando assequuntur, non ea magna discordia,
& absq; animorum acerbitate extitisse, putan-
da est. Capitales inimiciæ sunt, quæ auari-
tia & ambitione suscipiuntur: & boni vt ha-
scē detestantur, sic & illas remis velisq;, vt di-
citur, fugiunt. Neq; noster similtates cum
principibus reip. aluit: nec alijs inuidit, qui-
bus digna præmia tribuerentur: quid minus
probaret, apertè præ se tulit: nec alios sibi me-
tuendos putauit, qui rectè faceret, & suade-
ret, quæ essent è republica. Non dicam, vt nec
vlli principi, nec regi vlla in re assentatus fue-
rit. Procul est à viro tali, vereq; nobili assen-
tatio, certus mancipij character: quin ipsi he-
ro aduersabatur sedulò, si quid ille vellet aut
mandaret, quod vel publicè incommodaret,

D

vel ex

vel ex dignitate principis non esse intellige-
ret. Potentiorum frontis nubeculam ferre po-
terat, eamq; serenitate probi consilij sæpè di-
spulit: vnde aliquid boni in patriam redunda-
ret, ille priuatim sibi suisq; nihil speraret. Nec
verò solum rogatus sententiam liberè dixit, vt
virum nobilem & ciuem amantem patriæ de-
cet: sed si quam tempestatem præuideret, vl-
trò monuit nauclerum, quid factò opus esse
arbitraretur: nec ab eo, quod expediret, aut a-
speritate verbi, aut vulticulo se dimoueri pas-
sus fuit: atq; ea constantia, cùm gratiam ef-
fundere alijs videretur, veram sibi copiosam-
que collegit. Præsens enim gratus interdum
minus videretur: absens desiderabatur. Hoc
equidem argumentum est, non leuiter susce-
ptæ, neq; paruis meritis comparatæ beneuo-
lentia. Magnus ille vir, & magni animi fuit:
quod magis apparebit, si eos proferamus, qui-
bus animi magnitudinem sine controuersia
tribuamus. Vulgus humile est, nec excelsa
cogitat, nec spectat, nedum ausit: qui in regi-
is degunt, populo terrori sunt & admirationi.
At verò mihi quis spectet proceres in ipsis re-
gijs:

gijs: non dico satellites, & quicumq; splendoris causa apparent, nec reliquam familiam, cuius amplitudinem admiratur vulgus: primi sunt militiae duces, qui munera gerunt aulica, qui ius dicunt, qui in senatum secretiorem veniunt. Hi etsi quotidie in conspectum regis prodeunt, quotus eorum tamen quisq; est, qui regem intrepidè adeat, & apertè si quid velit exponat? Hoc qui faciat, & sibi, & alijs limites verecundiae migrasse videatur. Mitto enim impudentes, qui sub signis nobilis illius sycophantæ Medij militant. Hi enim, ut muscæ cibos ligurritum foedatumuè aduolant, ita se temerè beatis offerunt, & potentibus ut saginentur, simulq; turbent vitæ consuetudinem. Quis est, inquam, bonorum, vel etiam satis bonorum, qui principem de quaq; causa, quoq; tempore, & loco ausit alloqui? iussi etiam & expectati sollicitè expediunt quisq; quod debet, aut in animo habet: idq; ut plurimum oratione meditata, disertâ, breui. In hoc qui se rectè semper gerat, eum virtute præditum, eum sapere, eum disertum & omnibus de causis auctoritate præditum autu-

mant: quæ omnia magni profecto, sibiq; constantis in omnibus animi argumenta sunt. Horum aliquis vix aliud attingit, quod necessarium sit, & exponi mandatum esse videatur. Si qua sunt præterea in negotijs, vel animo regis, quæ vel emendationis vel consilij indigeant: quæ omnia vident & carpunt etiam, qui foris sunt homines leuiculi, in quibus nec consilij, nec animi quidquam est: ad interrogata initio muti, ad maiestatis aspectum etiam obstupescant: primates etiam illi silentio sibi vtendum intelligunt, & id onus relinquunt ei, qui ferendo sit: Erudire enim principem vel monere, in quo ipso vis ingenij maxima, animi etiam maior, nec ætatis est cuiuslibet, nec cuiusuis conditionis aut loci, nec præcoquæ sapientiæ, nec mediocris vsus rerum, nec vllius facundiæ, quàm alicuius reconditæ, nec vllius auctoritatis, nisi primæ omnium: & quamquam hæc & multa, & magna sunt, & rara, tamen ne sic quidem omnia complexus fuero, quæ in tam diuino homine requirantur: vno verbo conabor dicere, in quo sint omnia, etiamsi ijs quæ exposui, pænè obscuro

obscurius videri possit. Sed ita sunt natura aliqua: vt clarè exponi ad captum omnium nequeant: & quædam res ipsum earum interpretem facile fugiunt. Nelei filium esse oportet, aut eius similem, qui Agamemnonem, cæterosq; Græcorum reges compellet, doceat, moneat. Hi namq; & ipsi sapiebant: & erant in iisdem castris sapientes alij: sed huius generis nulla copia: nec præter vnum rex ille regum videbat alterum, frustra q; tales sibi decem senatores optabat. Vtinam hodie singulis principibus sint singuli, tanto vsu rerum, tam graui ætate, tanta vbertate consilij, tam mellita facundia, eo in remp. animo: qui etiam in primis est: etsi hic absq; illis nihil audebit, aut omnia frustra molietur: illa absq; hoc vt eximia sint, nulli tamen vsui forent. Non habebat HENRICVS nihil veteris illius, sapientiæ ne dicam, an eloquentiæ? Animatus fuit enim in principem, vti oportuit, & in rempublicam: nec prorsus desiderares cætera: norat, quæ dicenda, quo tempore, quibus verbis: nec erat eius, quæ in prouerbio est, dictio Scythica: sed quod sentiebat, (sentiebat

autem quod esset rectissimum, & ex utilitate publica, quod idem non potest non esse ex usu principis) siue in consilio aberratum animaduerneret, siue quid boni salutisue procurari poterat, siue quid mali aut auerti calamitas, siue quid principi videretur, quod fecus geri oporteret, id explicabat. Nec enim vel optimi reges in paucis alucinantur, quo nomine & dux I V L I V S dicere solitus fuit, se iccirco senatum habere, quod non videret omnia: velle se moneri, etiamsi quid vrgeat obstinatius, & hanc se putare suam victoriam, si rationibus expugnetur. O verbum memorabile, & omnino dictum diuinitus: ab eo praesertim, qui sese nosset, & non permoueretur subito, si quid in animum induxisset. In explicando sequebatur tum exempla sapientium, quae meminerat, tum praecipua etiam monumentis consignata à magistris sapientiae: nec non inueniebat ipse rationes nouas, vt cum minimè offenderet potentiam, tum verò persuaderet principi, quod normæ recti maximè esset consentaneum. Id enim etiam ex usu maximè esse, semper in ore habebat. Nec tergiuersa-

giuersabatur, si quid tale opus esset, sed quod
præmeditatum haberet, id prima occasione &
omnino maturè agebat, ne quid mali consili-
um anteuerteret. Quis eum virum magnum
fuisse neget, qui, quæ cæteri, præstiterit, ac præ-
terea, quæ nemo alius, vel vix alius, si quis ta-
men fuerit. Neq; hoc verbo dignitatem cæte-
rorum & fidem minuo. Graue hoc sit & im-
probum suspicari de quiquam, qui in senatum
à sapiente principe lectus, & primo collegio
probatus sit. Nam quorum animus egregius
est, in ijs etiam facultas: etsi fieri potest, vt qui
in re quapiam valeat, in ea non gerat, quod
quantumq; possit. In hoc viro & facultas erat,
nec voluntas deerat; qua quod potuit esse ma-
ius virtutis argumentum? Qui ita sit, in eo nec
ambitionis, nec auaritiæ suspicio residet. No-
lit enim vsquam potentiozem offendere, velit
placere principi in omnibus, qui omnem co-
gitationem aut in opes defixit aut in honores.
Qui vel hoc vel illud vnicum agunt; nec res
magnas in ciuitate gerere possunt, nec in
magnis rebus valent auctoritate apud princi-
pes. Nec enim auari aliqua, aut ambitiosi ve-
ra est

ra est dignitas: quorum animi his ambiguis
bonis occupati sunt, nihil sublime cogitent,
aut magnum aliquid moliantur. Sæpè fit, vt
qui ijs toti incumbant, tamen excidant: inter-
dum etiam, vt qui ad primas artes animum
adiecerunt, ijsdem quoq; fortuna faueat. De-
betur honor virtuti, & ille maior, quo ipsa fue-
rit illustrior: atq; vix aliter possit fieri, vt qui
pedem legitimè in primo honoris gradu fixe-
rit, eumq; qua arte seu virtute occuparit, tene-
at, quin si velit, ascendat altius, vel etiam, si id
non agat, in secundum trudatur, & superio-
res etiam, vt se habent plæraq; è terra nascēti-
um, quòd in quibusq; arboribus, præcipuè in
nobilissima quaq; videre est, in platano, pal-
mo, cedro, alijs, vt se in altum tollant, aliæ ci-
tius, aliæ tardius: talis est ratio virtutis, doctri-
næ, sapientiæ, laudis, gloriæ, honorum. Co-
gnata enim admodum cum sint, non dissimili
modo afficiuntur. Verùm hoc vt obiter mihi
in mentem venit, ita dixi: docere multis &
expolire, animus mihi non est. Videmus, vt
ad negotiatores nobiles, qui terra mariq; & vi-
tæ hominum vtilem mercaturam sedulò faci-
unt; è

unt; è pluribus & remotissimis etiam orbis partibus omnis generis merces, iumentis, vehiculis, nauigijs perferantur: vt quasi regijs diuitijs deniq; cumulentur, quarum ipsi modum nesciant. Idem fit in bonis animi, idem in honoribus. De hoc enim genere nunc potissimum agimus. Mira vero ingenia sunt mortalium, sæpeq; è diametro pugnancia: alij virtuti inuident, eamq; premunt, & è medio sublatam expetunt: alij eidem fauent, eamq; mirificè commendant, & ornant magno studio: tum quia eius est prima dignitas, tum quia vsus ad res constituendas & mediocrem felicitatem necessarius. Ex re ipsa annis iam pluribus didicerat dux I V L I V S, quantum esset in H E N R I C O consilij, quanta industria, quanta cura, quanta laborū tolerantia: omnia in eo esse deniq;, quæ ad ardua negotia gerenda requiri viderentur. Quare ei nouum onus imponit, & grauius alijs, quæ hæctenus tulerat, non nego honorem in aula esse primarium, sed in eo siue cum eodem esse contendendo, quantum in aula quis omnium ferre valeat. Duce H E N R I C O patre, vita functo, imperium

E

rium

rium adierat, tenebatq; modo IULIVS: hic illum nihil minus cupientem, sed reluctan- tem etiam aulæ principem fecit, cuiq; vices suas credidit, cui rectissime se omniaq; sua credi- disse haftenus. In quo munere, quamuis in- uidioso, quod primæ nobilitatis viri etiam cu- pide gererent, in quo offensæ alijs ex alijs sube- undæ sint quotidie, neq; declinari omnes vlla prudentia possint, ita se gessit, vt ab eo prorsus exspectatum fuerat. Sic autem acceperat, vt quamprimum deponeret, nec eius deponen- di cogitationem deposuit antè, quam à parte aliqua molestiarum & nonnulla inuidia libera- retur: ex quo illius consilio nihil eum egisse ambitiosè, & magna fuisse prudentia, facile quis animaduernerit. Ibi tum se vices ducis gerere, ipse præ se minus ferebat: etsi negare nec poterat, nec debebat: verum audire ma- gister aulæ principis HENRICI IULII ma- lebat, nec aliud nomen in commentarios re- tulit, vt suspicionem quoq; ambitionis auer- satus fuisse, & à se procul declinare voluisse appareat: etsi & hic honor eximius est, de quo paucis interiectis à me dicetur aliquanto ple- nius.

nus. Vidit pater OTHO florentem HEN-
RICVM filium, seu audiuit potius, magnamq;
è rebus secundis filij voluptatem accepit, vt
credibile est: cumq; rectè statuisset, satis iam
factum suis votis, decessit eo ipso tempore.
Dum istos honores gerit, & patrē luget HEN-
RICVS; neq; Megapolis tanti viri, ciuis sui
obliuiscitur. Designatur enim eodem anno
præses collegij sacerdotalis Suerinensis: qui
est primus ab ipso præfule locus: huius digni-
tatis primaria & perpetua putatur esse fructus
etiam haud negligendus: qui quanti q; fructus
sint, me fugit: sed qui quanti q; ad eum redirēt,
eos ipsos per liberaliter, atque in super, nec mo-
dicam, nec inutilem operam impendebat pa-
triæ. Cùm enim & domicilium haberet hic
prope Bructerum, ex aliquo temporis spatio,
eoq; interdum breui, in publicis negotijs, in
patriam iter facere necesse habebat. Non fu-
git verò, aut declinauit hunc laborem, ne di-
gnitatem frustra gereret: & fecit sumptus non
parcè: vt magnificus esse, vt erat, nec tantum
beneficentiæ studere videretur. Ipse vidi sæpè
negotij publici causa aduolantem: cumq; to-
tos di-

ros dies familiaribus & propinquis dare videretur, hoc potissimum tamen agebat, qua gratia aderat. Alios accierat, alij salutatum veniebant, consilij capiendi causa alij. Neq; tum ab ipsius prudentia opem petentibus priuatim deerat. Abundabat autem ea consilij copia, annis iam non otiosè actis, multoq; vsu rerum confirmatus, vt, quæ alij longa inuestigatione non eruerent, ille ex tempore nullo negotio, quasiq; aliud agens, depromeret. Horum partim ex amicis habeo, partim ipse vidi. Interdum enim si non veniret, vbi ipse essem, me accersebat, vt vel de nostris rebus, vel de alijs, inter nos conferremus: cuiusmodi sanè multa sunt, ioca & seria, de quibus inter se amici, & homines docti suauiter & rectè confabulantur: potissimum quidem absq; arbitris, sed tamen etiam in turba & interpellationibus aliorum. Aliquando etiam vtrò hac de causa excurri ad amicum veterem & fide præstantem, vbi in proximo esse audieram. Cæterum dux IVLIVS, cum HENRICI consilio & opera non solum in constituenda regendaq; aula, sed etiam in longè pluribus rebus vte-

bus vteretur: & cum consilio, tum opera, tum auctoritate, in obeundis legationibus necessariam esse intelligeret sapius; molestia tanti muneris, seu parte molestiæ volentē liberauit: nec leuiorem tamen statim imposuit, cuius etiam non minor esset dignitas: ego, si remuneratione spectemus, maiorem esse contenderim: si cuius finis non solum par sit, sed & ad posteritatem referatur, id maximum esse negare non possumus. Omnia putabat dux & sibi & populis posita in filio, cui olim decedens imperiū traderet. Is erat princeps HENRICVS IVLIVS, puer indole, vt vno verbo dicam, heroica: de qua singularia & summa speraremus omnes, si deinceps, vti ceptum iam erat, feliciter educaretur ad imperium. Iam tum enim per plurimas & longinquas gentes de eo exspectatio fuerat concitata: quāta de alio memoria nostra: præsertim quibus in locis regum filij educarentur: percrebueratq; iam ita profecisse, vt non solum æqualibus, sed maioribus etiam exemplo esse posset, Nec falsa erat ea fama: quod ipse testarer, si testimonio tot gentium cuiusquam

E 3 testimo.

testimonium, vt de meo nihil dicam, adijcere
rectum ducerem. Itaq; molestiam hanc siue
curam, qua vix vlla grauior est, siue difficulta-
te siue perpetuitate, quod negotium ipse ex-
pertus facile affirmare vereq; possum, non re-
cusauit HENRICVS. Sed omnem eam dif-
ficultatem alumnus adeo nobilis, atq; ita à na-
tura ad amissim factus, vt penè perfectus vide-
retur, amouit, effecitq; educatori suo, quod
sua natura difficillimum esse crederetur, vt ef-
fet longè facillimum. Etenim ingenij celerita-
te, discendi auiditate, audiendi desiderio, a-
gendi promptitudine, omnes omnium labo-
res leuabat: modestia, comitate, suauitate mo-
rum, & ea quæ tantopere in Cyro commenda-
tur à Xenophonte, quæq; tam vulgo rara est in
pueris humillimi cuiusq;, nedum fortunatio-
rum atq; regum, obedientia, oblectabat &
magistros & familiares & spectatores deniq;:
nemo non ea omnia audiebat libenter: cui e-
tiam ipsa recognoscere non libeat? non dico
hæc omnia quantæ voluptati patri I V L I O
fuerint: affectionem paternam mirificè auxe-
runt: curam aulæ magistri illam, quæ ita, siue
propriè,

propriè, siue cum molestia dicitur, sustulerunt, nouam HENRICO attulerunt: de qua agitur vbi paullulum regressus vnum attigero. Nec enim integram rei expositionem à me expectari volo, quæ historiæ est, non huius loci. Non ille munus id gerebat, vt prorsus abesset à publicis negotijs: nec princeps hoc patiebatur, nec ipsa negotia, ardua sanè, nec pauca, initio imperij. Grauiissima erat, siue in grauiissimis, controuersia inter ipsum ducem & ciuitatem Brunsvigensem: quæ si dirimeretur, florere putaretur, & beatū esse hac parte Brunsvigense imperium: illo tempore nihil vtrinque magis optabatur. Itaque cum voluntates ad concordiam vergerent, rationes eius in eundem sapientes facile inuenirent. Ita tum omnibus videbatur, & exitus respondit. Negotium datum fuit Christophoro Stænbergio, qui tum aulae primas erat, & eiusdem gentis Adriano, & Georgio Hollæo, peritia rei militaris claro, & Francisco Musseltino cancellario, & huic Henrico Luhio: qui virtute & meritis præstare, nec penuria consilij laborare putarentur. Ad negotium accessum fuit alacriter, tractatū diligenter.

diligenter, confectum feliciter. Ipse dux ingressus pompa regia, remp. visus habere fuit pro filia: & erat affectus paternè erga vnumquemq; ciuium: ipsa ciuitas patrem patriæ agnoscebat, venerabatur, prædicabat, animis bonis & consentientibus. Vtinam res in hunc diem loco motæ non fuerint. Verum fato fieri existimatur, vt diuturna non sit inter reges & ciuitates beneuolentia: ac fortè quis id factum non minimam partem pendere ab incōstantia & peruersitate mortalium suspicetur: quæ opinio à sententia veterum super hac re non discrepat. Tamen qui in sarcendis, & regum inter se, & regum atq; populorum, & priuatorum animis, occupantur, & quantū queunt, corrigunt, in hisce imis, perpetuæq; vicissitudini subiectis orbis partibus, vt boni quidam genij, laudem profectò merentur & cultum singularem. Redeo ad curam à me studio relictam superius. Cogitabat HENRICVS grata vicissim facere, à quo iucūda omnia proficiscerentur, eiusq; dignitatem augere, qui se puer admodum egregiè sanè, & amplissimis præmijs dignum gereret. Primum igitur principi

cipi suo in petitione episcopæ Halberstadien-
sis consilio & opera præstò fuit: confectum
fuit negotium arduum præter multorum opi-
nionem: studia hominum profuerunt HEN-
RICO IVLIO: sed principis tamen indo-
les cum primis spectata fuit ab omnibus. Ali-
quot annis post vacabat in vltiore ripa Vi-
surgis, episcopa Mindensis: Pro ea laboravit
itidem pater, rem adiuuit sapientia HENRI-
CVS, successu pari. Nullus autem præteri-
bat dies, quin principem puerum vel officij
commonefaceret, vel in officio confirmaret,
ostendens & quanta in expectatione esset o-
mnium, & quos quantosq; honores in præsen-
tia gereret, & quam dignitatem potentiamq;
expectaret: his omnibus tenendis, tuendis,
amplificandis, summa virtute & sapientia o-
puse esse. In plerisq; collaudabat suum prin-
cipem, quòd sic in omnibus meliorem fieri,
confirmariue crederet: probabat tamen præ-
cipuè, quod eum videbat in cibo potuq; nihil
auidè nec plusculum sumere, quàm natura
desideraret: in eo perseverandum docebat.
Hoc enim esse fundamentum iacere, cum

F

virtu-

virtutum ceterarum, tum moderatricis omni-
um & actionum & consiliorum, prudentiæ.
Perstitisse autem in hoc animi decreto lauda-
bili, res ipsa loquitur. Norat autem alumnum
suum intimè, non minus, quàm Phoenix fili-
um Pelei: & facilè pernosse poterat, cum quia
ipse erat & cuiusq; indolis censor acerrimus,
magis, quàm qui physiognomones dicuntur,
tum quia in illius ingenio proba simplicitas,
nec obscuri aliquid aut perplexum. Itaq;
coniecturam facere posse videbatur, qualis ef-
set futurus, quando neq; ad patris nutum, neq;
ad volūtatem aliorū se totum componere ne-
cesse haberet: sed tamen eius ingenium mo-
dò in hoc, modò in alio tentavit, quo certius
prævideret, quod prævidere se crederet, aut si
alia essent indicia, in tempore aliquid opis in-
ueniret. Ferebatur aliquando nescio quid
quantumq; argenti in ærarium argenteorum
non minus mille: in mensa eos effundi iussit:
& hæc, inquit, princeps pecunia tua est: nec
est, quòd eam spectes, aut omnem recondas:
utendum ea tibi intelligis; & aliquas leges di-
dicisti liberalitatis & beneficentiæ: qua potif-
simum

simum vtèris erga tuos. Nec enim satis est
hos abste ali, & exiguam ijsdem mercedulam
solui: præmij quisq; exspectat aliquid: facio
tibi potestatem ornandi vnumquemq; pro
merito. Dum ita HENRICVS loquitur
ad principem, in aulam sese infundit aula.
Erat enim res noua: nemoq; sibi non sperare
aliquid gratiæ. Non iam ad argentum, sed
ad familiam respiciebat princeps, sollicitus
quid largiretur singulis: pro captu puerili cuiq;
dedit fronte hilari plena manu, quod videre-
tur: nec parcus dabat, cum minui aceruum vi-
deret, ratus, vt ego arbitror, plus donandum
esse primis in familia, cum infimum quemq;
non præteriisset: nec ijs offerebat, quod ma-
nu teneret, sed quod vtraq; aduolueret. Ita
iustus ipse visus fuit non minus, quàm fuit mu-
nificus. Primam capiebat ex tam eleganti facto
voluptatem magister aulæ: singularem item
quotquot adfuerant: nec minorem, qui au-
diebant. Non minutum fuit hac re principis
ærarium: nisi quòd ex misellis abibant dona-
ti, vt huius magnificentiæ arbitro videbatur.
Nec exspectetis, vt quam postea vsurpauit
princeps

princeps liberalitatem, & vsurpat hodie, dicam. Illud mihi referre libuit: & rectè factum arbitror: siquidem & Græcus sapiens in monumentis reliquit, quàm perperam etiam puer, Cambyfis maioris filius, iudicium administrarit inter æquales: vel potius ipse Cyrus paulò iam adolescentior suum errorem narrare non erubuerit. Non tantum verò princeps tenera admodum ætate specimen edebat huius virtutis, sed & tum & adolescentior aliarum quoq; virtutum regiarum, cum nec adultores audiret, & calumniatores execraretur: quod ab ipsius familiaribus acceptum alio loco prædicaui. Iam etsi alienum non erat, item cætera referre, quibus educationis fidei suæ creditæ rationem expressit HENRICVS, tamen id mihi proponere non debui, nec huius loci angustia ferat. Breuiter summamq; dicam; nullum hic noster munus sapientis & diligentis aulæ magistri prætermisit: & multa insuper quæ à tanto viro expectari, flagitari certè non poterant: etsi boni viri ita iudicant, debere se, quodcunq; munus gerant, non solum quæ deberi videantur, & medio-

mediocres homines præstent, sed etiam, quæ-
cunq; ipsi inuenire & præstare possint. Equi-
dem sic iudico, atq; officio ipsemet tantisper
mihi non videor satisfacere, quamdiu præte-
rea aliquid à me posse proficisci, aut alij suspi-
centur, aut ego intelligam. Sed ne quis
arbitretur, ita me vnum ornare, vt multis
derogem, aut quæ laudes aliorum sunt, eas
in hunc vniuersas transferam. Adiunxerat
dux I V L I V S filio plures, de quorum
doctrina & virtute dicendi locus non erat a-
lienus, nisi angustior foret, & si viuos plenis
laudibus afficere liceret. Vnum ex ijs, qui
iam pridem decessit, non premeam silentio,
ad primè nobilem, GODEFREDVM HER-
MESIVM Belgam, virum antiqua virtute
& fide. Hoc præconium sibi olim à me tribu-
tum, vtraq; manu lætus accepit: nec de eo eti-
amnum aliquid verius dixero. Ab adolescen-
tulo enim cum præstò fuisset duci I V L I O
Louanij, Lutetiæ, & passim in Germania,
& hero suo & familiaribus probasset, quas
dixi, virtutem & fidem: nec ipse respexit aliò,
in media aula non nisi elegantia cultor: & dux

eam fidem penes se tenebat, & excubare simul in educatione filij iubebat: quod egregie præstitisse, monumento viri inscriptum est, quod ei Groeningæ ad Bodam fluuium, in eade sacra, vt bene merito, ipse præful, dux HENRICVS IVLIVS posuit. Erat & ex intervallo pro aulæ magistro HERMESIVS, & id munus interdum alijs mandabatur, quòd HENRICVS & arduis præterea negotijs adhibebatur, & in rebus magnis ad principes & reges sæpius ablegabatur. Est verò aliquid dicendum de ijs legationibus. Varias autem & frequentes, & illustres habuit: quæ ipsi non parum addiderunt dignitatis: sed ille ijs, si ita loqui licet, siue potius rebus ipsis plurimum utilitatis. Longum esset, nec necessarium, omnes persequi, & quarundam fuerunt negotia, quæ expiscari homo prudens non debeat, & tegi, si quis compererit, oporteat. Et enim quædam, vt rerump., sic regum arcana non tutò aperiuntur alijs, & ipsi quædam cæleri volunt, siue graui de causa, siue ob hanc vnicam, quia ita volunt: in quo eorum voluntari reluctari non debemus, & qui ausit, stultè

stultè suoq; periculo faciat. Ex ita multis non
nisi tres attingam, illustriores in cæteris & no-
tas omnibus: in quarum vna libet mihi vela
contrahere, in alijs expandere liceat: in o-
mnib. lucet cùm legati auctoritas, tum ducis
IVLII virtus regia, & ex hac nata sempiterna
gloria. Non ordiar de prima altius, quàm res
postulare videatur. Satius enim puto relin-
quere superiora sæcula, quibus turbatum fuit
in ecclesia Seruatoris mortalium. Natæ fue-
runt mea memoria dissensiones aliæ ex alijs,
aliæ friuolæ, aliæ graues, & discidia animo-
rum, tam inter docentes, quàm in populo. In
neutris id accidisse mirum, quoniam non no-
uum: nec alius est vulgi genius, sed in illis
magnoperè reprehendendi, qui religiosif-
simū præceptū præceptoris omniū, de sincera
mutuaq; animorū beneuolentia ex memoria
deleuerint. Nec verò pauci, etiam pudoris
obliti, mutuis potius odijs & criminationibus
se petierunt, in publicum libellis editis, quàm
inter sese modestè, eruditè, piè, veritatē inqui-
rerēt. Sed hic contractis pridē velis, etiam qua-
si remos orationis inhibebo. Illa igitur mala
cūm

cùm magis indies gliscere principes quoq; animaduenterunt, vt consilio & ratione exitum ab ecclesia & à patria auerterent, quod in ipsis esset, cogitationem susceperunt de facienda concordia. Quis neget id regiè sancteque fieri? Venit autem in primis in mentem duci IVLIO, etiam AVGVSTO electori Saxoniae, quos nec alij pauci secuti fuerunt. Tentatum fuit negotium: inita ratio: legati eo nomine hinc inde missi, qui quorundam animos explorarent, siue flecterent. Inter eos esse iussit HENRICVM dux IVLIVS, testimonij magis, quàm gerendi negotij gratia. Parendum fuit principi & obeunda legatio, grauis, & de qua alios aliud iudicatos, vir sapiens prauidebat, qui euentum etiam prauiderit. Agebat verò, quod sui erat muneris: suas partes relinquebat alijs. Quò res deducta fuerit, non solum, quia hodie id fugit neminem, sed etiam, quia quæ ad rem pertineant, quæque sentiat, ne sapienti quidem dicere liceat, nedum mihi, cui vix mediocria in mentem veniunt, narrare supersebo. Fortè etiam parum sapiat, qui præsentem rerum

rum

rum condicionem siue deploret siue culpet:
cum publicè nihil proficiat: priuatim in se
multorum odia concitet. Illa autem splen-
dida legatio, pio profectò principum consilio
decreta fuit: principes ipsi laudem sempiter-
nam adepti sunt, qui, si quid possit consilio
prouideri, id tentandum duxerint, & regios
sumptus in institutum negotium fecerint.
Ad aliam legationem transiens, nec de ipsa
multum verborum faciam. Si enim expli-
cem, quæ auditor exspectat, historici munus
suscipiam, ex præterito tempore multa repe-
tens, multa item, quæ post euenerunt, recen-
sens. Hoc licet ad rem faciat, & legati digni-
tatem augeat, omittam. Quis tamen non in-
telligit, quàm illustris fuerit legatio, quæ flo-
rentissimi omnium in Europa regnorum in-
columitatem spectaret? Cùm enim, vt in
Germania patrum memoria, factum fuerat,
& multis præterea prouincijs, multa in reli-
gione in Gallia quoq; innouarentur, siue ad
primum institutum reducerentur: id non fe-
rendum ratus cum potentioribus ipse rex, egit
passim aduersum religiosos vi, & omnium sup-
plicio-

G

plicio-

pliciorum genere. Bonorum amissionem,
exilium, infamiam, in malis nemo numera-
bat: vrgebantur omni sæuitia, de quibus su-
spicio erat, aut esse à leuissimo quoq; dicere-
tur, laqueis, aqua, ferro, flamma: non vnus &
alter de vulgo, sed principes non pauci. Vnde
necessariò ad arma ventum, nisi omnes ac-
currerent, porrectum carnifici iugulum. Ex
hisce motibus calamitatem regni prospicien-
tes, & simul miseri ipsius innocentia, Germa-
ni principes, qui & ipsi non defectionem ab
ecclesia catholica, nec prophanitatem, sed re-
ligionis emendationem professi fuerant, cum
conuenissent in comitijs Spirensibus, quæ
coegerat imperator diuus, MAXIM. II. de
legatione eo nomine ad regem mittenda de-
liberant. Erant autem in bona spe, se au-
toritate apud regem, & sano consilio bonisq;
rationibus, à religiosis pericula & mortis, à re-
gno calamitatem & exitium depulsuros. In
principibus huius adeo illustris & sacræ lega-
tionis fuit & HENRICVS LVHIVS.
Extitit apud regem & apud omnes, ad quos
mandata haberet, perquam graciosus: nec fu-
it nega-

it negatum ducibus Germaniæ, quod pietate
& fide erga Galliam adducti peterent, seu di-
uinitus monerent. Sæpè prædicavi, nec satis
prædicari potest imperij decretum, quod di-
uus CAROLVS V. imperator fieri passus
fuit: immò ipse fecit, de libertate religionis:
ratum habuerunt ordines imperij: defende-
runt ex eo tempore imperatores, CAROLI
frater, FERDINANDVS, FERDI-
NANDI filius MAXIMIL. II. defendit
hodiè fide Germanica MAXIMILIANI fili-
us, RHDOLPHVS II. Quamdiu id fu-
turum est, quod precor, vt ad seram posteri-
tatem transmittatur, potissima sui parte felix
erit Germania. Id tamen interea aliquoties
conuellere tentauit Ate. Sed imperij sapien-
tissimus senatus vtraq; manu tenebit id decre-
tum, proq; eo tamquam pro aris & focis pu-
gnabit. Liceat mihi hic dicere, quod fortè
quoq; saluti sit publicè, auditum antè ex alijs,
neq; tamen non subijciendum censuræ sapi-
entum: an non nouo decreto opus sit, quod
fulciat prius illud sacrosanctum, aut eius sit
quali quædam necessaria & salutaris interpre-
tatio,

tatio, tùm ad otium, tùm ad veritatem: & vera libertas in eo intelligatur, non licentia, & illa definiatur inuestigatione veri, quod ex sacris monumentis ecclesia accepit, eiusq; doctores ab initio in hunc diem vno ore litteris prodiderunt. Licentia est passim & petulantia, tùm in ijs, qui nouas & inauditas opiniones in medium adferunt, tùm in alijs, qui veri inuestigatione occupatos clamoribus opprimunt & conuitijs. Sed hoc præter institutum, & summi consilij est, primæq; auctoritatis. Vtinam Gallia in eo, quod tum placere videbatur, perstitisset: vtinam tale consilium locum habuisset in Belgio. Qui secus sentiat, hunc humano sensu præditum non esse, pecudes fateantur, si dari queant. In legationum porrò, quarum mentionem faciendam potissimum putauì, tertia, his prouincijs non parùm salutis positum fuisse, multumq; dignitatis, intelligentes boniq; viri iudicabunt. Locus hic perillustris est, & magnificè ab alijs etiam sæpè explicatus, & à me quoq; mediocriter, in oratione funebri, quam scripsi duci I V L I O. Et ipse
intelli-

intelligebat pro sua sapientia, & interdum
ex HENRICO alijsq; viris præstantibus
audiebat, quanta bonæ & copiosæ doctrinæ
esset dignitas, quantumq; referret, tum pri-
uatim, tum publicè, ex omnibus ordinibus
aliquos erudiri bonis litteris ad res maximas
intelligendas & virtutem non simulatam ex-
colendam. Itaq; gaudebat, apertis iam pas-
sim per oppida, populosq; suos ludis littera-
rijs. Sed hi erant non nisi pueris destinati, in-
ter quos qui adultiores quoq; mancant, quod
vel prauo consilio fit, vel per tenuitatem di-
scientium, è pueris exire minimè existimandi
sunt, quando in moribus, & litteris puerili-
bus manent. Vel enim tenentur tot annos in
primis elementis, vel inficiuntur aliarum di-
sciplinarum initijs parùm feliciter, quæ non
nisi praua tradunt, qui ipsi omni liberali di-
sciplina non satis exculti fuerunt ab initio. Ad
harum rerum considerationem se reges etiam
demittunt, & probi legumlatores: quemad-
modum sementem facturi agricolæ proba
semina deligunt, è quibus veros magnosq;
fructus sperent. Seminum instar est prima e-
ductio,

ducatio, quæ cuiusmodi fuerit, tales futuri
sunt ciues, taliserit ciuitas. Hæc cum non o-
mnium esse possit eadem, eorum exquisitio-
rem esse oportet, qui aliquas partes in republ.
gesturi sunt etsi horum propriè siue eximiè di-
citur educatio, qui ad virtutem ciuilem edu-
cantur litteris, vt etiam censuit Socrates. Per-
peram enim facere iudico, qui docendo, di-
scendoue, virtutem à litteris segregant, aut
vllam artem liberalem sedulo absq; diligenti
studio virtutis colunt, id verò vel quia nihil
dictu dignius habeo, vel quia scitu tantopere
necessarium iudico, dico sæpius. Videtis
cur de officina litteraria, non ita humili, cogi-
tarit dux sapiens IVLIVS, vbi adolescentes
plenius erudirentur, & recta maximarum do-
ctrinarum principia acciperent. Condidit
academiam sua auctoritate ad amnem, cui
Ganda nomen est, à quo & oppidum Gandæ-
sia dicitur, loco multis sæculis propter plura
collegia sacra & arcem ducis celebri. Rectè
namq; academias etiam vocabimus, quæ alij
à fine pædagogia, alij à simili, gymnasia no-
minant. Accersuit aliquot viros eruditos,
libera-

liberalem mercedem decreuit docentibus:
& discipulorum rationem habuit, non paucis
alimenta quoq; largiens: atq; ita eodem facto
& sapientiae & liberalitatis specimen edidit ad
posteritatem: nisi ei maiusaliquid venisset in
mentem: siue HENRICVS noster id ei
consilium primus, aut cum primis suggessit,
siue ducem in optima sententia confirmavit.
Nec verò non & hoc ducem permouisse pu-
tandum est, quod noua ratione genus suum
regium princeps illustrare videretur. Namq;
videbat maiores semper in bella incubuisse,
& multa quoq; loca factis fortibus & victorijs
illustrasse, se, pacis assertorem, summo otio
constituto sempiternam gloriam adepturum,
si arcem sapientiae suis populis vicinisq; con-
deret. Quod inuenisset, quod fecisset, ad-
huc imperfectum esse & magnificum quidem
opus, sed cuius alia passim essent similia, alia
non magno negotio ab alijs possent extrui,
id demum in hoc genere magnificum esse
prorsusq; regium beneficium: si academiam
vniuersam, & quidem talem conderet, vbi
non pueri, nec adolescentuli in primis ele-
mentis,

mentis, vnius alteriusuè artis siue scientiæ
erudirentur. Sed quid moror in explicatio-
ne rei manifestæ? Quis enim ignorat regia-
rum scholarum dignitatem? Ad eas se confe-
runt adultiores: iuuenes primùm ingeniosi
omni genere disciplinæ eruditi: iuueniunt,
quæ addiscant, & ex quibus proficiant: ipsi viri
docti in eruenda veritate ætatem omnem oc-
cupantur: neq; ea ita abstrusa est, & latet in
abdito obscurouè loco, quod quidam de ve-
teribus clamore etiam sublato asseueravit, vt
ne se quærentibus aliqua ex parte ostendat:
quin ipsa radijs suis mentes nostras non leui-
ter illustrat, & bonis veris atq; incredibilibus
perfundit genus mortalium, etiamsi sui sibi
maximam partem reseruet, vel ipsam vniuer-
sam nostra imbecillitas non capiat. Quod
tamen alter sapiens monumentis litterarum
consignatum reliquit: dux est, inquit, veritas,
nec solum ijs, sed & hominibus ad bona
quælibet. Veritatis autem & virtutis officinas
quotquot condidere, de genere mortalium
supra alios, aut certè non minus atq; vlli alij,
præclarè meriti, immortalem gloriam hisce
meritis

meritis consecuti fuerunt. Sed talis tantæq;
academiæ, quo maior esset & vera auctoritas,
à maiestate superiore legitimo petenda erat:
cuius rei cum causæ sunt veræ etiam plures,
tum vero duæ grauissimæ esse videntur: nisi
hæc vna satis est, vt in sententijs maximis
consensio, imperium vniuersumq; orbem
Christianum arctiore concordia vinculo
constringat. Sed & illas dicam. Primum e-
nim, non poterunt insinuare se aliqua specie,
nouarum absurdarumq; opinionum reper-
tores, quibus perturbent animos, vitamq;
mortalium: vt sunt ingenia varia & audacia,
nata in perniciem societatis mortalium, quæ
ne sic quidem potuerunt compesci, sed irre-
punt aliqui nihilominus in ipsa quoq; sacra-
ria sapientiæ, vt in regias etiam interdum per-
sonæ, eminentiæ viros nobiles, & ipsos ali-
quando reges. Sed neutri cæleri diu possunt,
& plerumq; dant tam temerariæ fraudis ex-
quisitissimas etiam pœnas. Alterum est, sed
eodem quoq; facit, & huc mihi respicere vi-
detur, vt præmia digna persoluantur athleticis
veritatis & sapientiæ. Qui enim ijs honores
H decer-

decernuntur, hoc maiores sunt, quò à maiore
auctoritate proficiuntur: nec eos expecta-
re vel petere quiuis audebit, vel qui consecuti
sint, pro iustitia & veritate in arenam descen-
dere non defugient. Nec verò sibi negligen-
dum putabat dux I V L I V S, quod à nemine
qui tale aliquid moliri cœpisset, neglectum
fuit. Igitur cum locum, quem habere tum
poterat accommodatissimum, vidisset, deq;
omnibus foundationis partibus apud se consti-
tuisset; ad imperatorem MAXIMILIA-
NVM II. principem humanissimum & be-
neficentissimum, pacis in imperio custodem
perpetuum, misit, vt debere se intellexit. Eius
legationis princeps HENRICVS fuit. Di-
cat quis fuisse rem facilem: quid enim non
ratum haberet princeps, quod ad publicum
decus & commodum spectaret? ac fuit omni-
no res facilis, legato præsertim gratioso, viro
sapienti & exercitato, seq; exercenti quotidie
in arduis negotijs: nec tamen res ipsa omni
invidia carebat, vt fit in rebus ferè semper o-
mnibus, siue aliquid aliud erat causæ, vt ego
arbitror, quæ tamen solida non esset. De-
mum

mum ex his legationibus diploma Cæsareum
reportans, omnino cuiusmodi petitum fuit,
expectatus & multo, quàm antè gratior redijt
duci IVLIO. Iam translata fuerat ex alio
loco in hunc pusilla, quam dixi, & infans a-
cademia: acciti fuerant, munificis mercedi-
bus doctores præterea alij: templa sapientiæ
ædificata quædam: pluribus designatus locus:
confluxerat vndiq;, tãquam ad Olympia, ado-
lescentum ex omnibus ordinibus magna
multitudo: erant omnia tum in summa ex-
spectatione: erat in ore nata recens academia
Iulia, quam non primus auctor, sed alij antè,
eo nomine donarant: quod iurè habet hæc
academia, & verè nec arroganter sibi indi-
tum. Natalis non procul aberat principis
HENRICI IVLII: eæ erant idus Octo-
bres: placuit patri, duci IVLIO, vt idem suæ
academiæ natalis esset. Dictis igitur idibus
solenni regioq; ritu inauguratio academiæ
nostræ facta fuit: eum nos academiæ nata-
lem, quibus hæc diebus meditabar XVI. so-
lemnem de more perpetuo, agebamus. Pæ-
nè tecum lucem hanc aspexit dux HENRI-
H 2 CE IV-

CE IVLI patris tui, nec non item tua aca-
demia, iamq; illo exempto rebus humanis,
prorsus & in perpetuum tua: ille eius funda-
tor fuit, teq; eiusdem esse perpetuum naucle-
rum voluit: nec ipse minus fundator dici po-
tes, quòd præstò fuisti: nemo non fuit ab ini-
tio quoq; tuam liberalitatem expertus: cu-
ram sui tuā agnoscunt musæ, gratoq; animo-
prædicant. Perge is esse huic siue filia, siue pu-
pillæ tuæ, qui fuisti initio: in tua ipsa solius tu-
tela non nisi ad te respicit: tu ei tutor: tu pater:
sic & fuisti, sic & esse iussus es: adhuc sunt eius
incunabula: non habet dotis nihil, neq; non
tu pro tua regia magnificētia multum adijci-
es, cui videlicet nutritione & mundo opus:
sed ego hoc te non doceo, quod nosti prin-
ceps sapientissimus: taceo, quòd hæc delibe-
ratio sui temporis est. HENRICVS verò,
quod gessisset in ea re, gaudebat ipse, mihiq;
pænè curiosè aliquando suscitanti, narrabat:
cumq; descendissemus in eum sermonem,
mihi assensus fuit, quæ dicebam de concor-
dia, de disciplina, de vera via docendi in o-
mni genere disciplinæ, nec solum in nullo
horum

horum mecum dissentiebat, sed etiam adde-
bat alia, quæ necessaria ad perpetuitatem &
firmitatem negotij putaret: aiebatq; futurum,
vt res academica delectorum de proceribus
fidei breui mandaretur. Idem verò mihi cum
& ab alijs confirmatum fuerit, futurum ali-
quando spero: vt non ita multum moræ inter-
ueniat, opto: atq; hoc ita opus esse mihi vide-
tur, vt illam diuturnam ferre non possit, si sal-
ua esse porrò debeant, quæ esse volumus,
& seruari constabiliriq; publicè expedit. In-
creditis autem quibuscunq; negotijs ita se ge-
rebat, vt ijs cætera omnia postponeret, & su-
as quoq; res negligeret. Scio fuisse in hac
sententia, vt qui secus faceret, eum neq; fidei
neq; dignitatis suæ rationem habere crederet.
Et verò hodiè multi & regum & ciuitatum
negotia administrant, vt cum in eo maximè
esse videri velint, suum interea potissimùm
procurent commodum, & omnem sibi labo-
rem acerbum putant, ex quo non aliquem i-
psi quæstum faciant. O aureum illud secu-
lum, quo omnes publica priuatis antefere-
bant omnibus: ò verè aureos siue potius diui-

nos viros, qui cum suo incommodo patriæ
seruirent commodis, rati, quod verum est, la-
bente seu minimum minuto statu publico,
concidere cuiq; ciuium rem familiarem &
publicis commodis florentibus facile sarciri, si
quid iacturæ feceris domi tuæ. Vidit hoc et-
iam Atheniensium legislator, quando ille se-
nex ita cecinit: *οὕτω δημόσιον κακὸν ἔρχεται ὅκαδ' ἐκάστω.*
Sed hoc, vt plæraq; intelligere, non adeò gra-
ue est: rarum, eo animo esse, quo HENRI-
CVS fuit. Eum sæpe alijs, tum insigni ali-
quando verbo declarauit. Cùm enim eius
industriam, fidem & prudentiam videret, le-
gum ille & pacis summus custos patris FER-
DINANDI imperatoris simillimus, & im-
perator MAXIMILIANVS II. princeps
sapientissimus, mirificè erga hominem fuit
affectus, cui etiam benefacere desideraret &
præmij aliquid ipsius virtute dignum persol-
uere, iussit igitur, si quid ipse sibi vellet, id pe-
teret. Hinc auarus & ambitiosus facile in-
ueniat, quod velit. Neq; enim imperatori
occafio quem velit ornandi & facultas deficit.
Fecit ille tantæ maiestatis de se iudicium,
quanti

quanti debuit, eamq; beneuolentiam pro omni beneficio habuit. In cæteris, quæ respondit, hæc veluti stella refulsit: petere se, & aliud nihil, nec aliud expectare: petere autem, vt qua gratia à duce I V L I O fuisset ablegatus, id effectum redderet. Sanè ita est, vt qui dum publicum agit in rem suam oculos defigit, aut illius aliquid negligat, aut negligere videatur: quod cum viderent Veneti, exilium ijs irrogant, qui legatione publica fungentes honores ab alijs acciperent: etiam si à pontifice max. cuius sacrosancta haberetur auctoritas, collatos intelligerent. Igitur qui etiam in amplissimum ordinem Cardinalium fuisset cooptatus, ei vrbs, quæ omnibus patet, lege clauditur. Nec tamen defuit honor ei, cui siue commoda siue honores flagitare liceret: etsi plures ille gerebat antè, & tum quoq;, de quo hucusq; nihil dixi. Erat enim & diœceseos Halberstadianæ præses. Eius muneris hæc fuit ratio. Cùm princeps HENRICVS I V L I V S peradolescens præsul designaretur bonis cõditionibus; ibi erat opus sapiente in rebus ciuilibus vicario. Et collegio sa-

gio sacerdotum, & proceribus cæteris, quorum interesset, non minus, quàm ipsi principi visum fuit: vt negotia in se susciperet HENRICVS, qui ferendo, esset. Præerant viri nobiles alijs dioceseos vniuersæ partibus; ipse præsidebat omnibus, quasi prouincialis quidem prætor: eiusq; erat prima in senatu sententia, quodcunq; in deliberationem deduceretur. Eo munere ab initio functus fuit, nec id antè, quàm vitam deposuit: quod argumentum est illius præclare administrati. Satisfecit autem & ipsi præfuli, & prouincialibus, vt ita loquar, & æquis quibusq; existimatoribus: curam ex animo nunquam dimisit, labores non defugit, neq; his annis proximis, quibus parum firmiter valebat: in aulam Guelficam veniebat, atq; iam tum cum funus fieret duci IVLIO, pedetentim vix ingrediens, negotia gerebat: neq; non postea longinquas legationes obijt: interdum credidit, non satis se operæ impendere reip. cum eius valetudinis rationem habendam existimans dux HENRICVS IVLIVS, quam ille ipse pœnè negligeret, ei molestias minueret. Ita-

ret. Itaque etiam vix vno aut altero mense
antè, quàm decederet ex hac consuetudine
mortalium, ex Crotorfiano in arcem præfulis
vicinam æger admodum excurrit, salutatum
principem, vel ei vltimam salutem dictum:
sic enim euenit: principem adeò imbecillis
viri optimè de se meriti misertum fuit: mone-
bat, iter quod in animo habebat in patriam,
abijceret: perstitit HENRICVS in senten-
tialacrymans: eodem die Helmæstadium ve-
nit, acciuit me ad portam, paucisq; mecum
fuit locutus: dolui amici veteris vicem: quod
volebat, deduxi eum ad ædes ducis HVL-
DERICI, regis Daniæ filij. De hoc plus
verborum non faciam. Percrebuit enim lon-
gè lateq; de diuina indole pueri & profectu
ætatem superante, cumq; de eo sibi omnes
singularia polliceantur, proinde non fuit dif-
ficile, vt aui HVLDERICI ducis Mega-
pol. episcopen Suerinensem administranti,
ab amplissimo illo collegio successor decla-
raretur. Faxit Deus, vt auus diutissimè viuat,
& nepos superstes sit, nostramq; omnium ex-
spectationem porrò superet: quorum hoc
magis

magis sperabimus, quando in litteris non ad opinionem vulgi siue ostentationem, sed ad omnem virtutem regiam summa diligentia educatur. Ad eius fores HENRICVS in curru substitit: nec secus poterat, per deploratam valetudinē, vt apparebat, & quidem ita apparebat, vt ægrè confecturus iter videretur, quod in animo habebat: quin putabat nemo redituum in hæc loca è patria: princeps descendit haud grauatè: ei salutem ille dixit, sibiq; negotia nota summæ curæ esse asseuerans, sub noctem diuertit in viciniam, quæ vallis Mariana dicitur: qui locus ad IV. M. passuum distat Helmæstadio. Animum de profectioe non mutauit. Vt in patriam venit, domi suæ, vt solebat, OTHONEM fratrem germanum & cæteros consanguineos salutauit: ijs expeditis, de quibus abituro in mentem venerat, ad ducem quoque HVLDERICVM in arcem cupidè ascendit, sic vt pedibus vestigium ægrè faceret: ad HENRICI conspectum princeps non nihil turbari visus fuit. Non enim is apparebat, qui tota vita sæpè apparuerat: effluerat corporis vigor, etiamsi animus nondum ia-

dū iacebat: erat in sermone tardus, qui promptus fuisset antè & acer: quid multis? lacrymæ. Abiit è patria, de altera porro patria, vt suspicari licet, cogitans: in Crotorffianum rediit: accidit, vt tum magna hominum multitudo ob nescio quæ negotia confluxisset: quos & morbi grauitate & itinere defatigatus, contuens, & caput de more detegens, (verbum namq; facere non poterat) salutauit: domum introiit ducentibus famulis: quot domi dies vixit, eos, rebus aliis constitutis, piæ meditationi & precibus tribuebat, pertæsusq; huius vitæ splendoris & miseriarum, nihil nisi migrationem parabat ad alteram: ac decessit deniq; piè ad III. Id. Quinctilis. Non multa de eius vita domestica dixi: quin vitam priuatam egisse mihi vix videtur, qui publica domi forisq; semper obierit. Nec fuisse vero indiligentem patrem familias existimandum est: nec erat in familiam blandus admodum, nec seuerus nimis. Vxorem duxerat è Platorum gente perquàm nobili: qui prænomine Nobiles appellantur. ELIsabetham, modestam, sedulā custodem rei familiaris, mariti in omni

bus obseruantem: cuius de salute siue abesset longius siue etiam domi esset, curam nunquā deposuit: cui materna comitabatur de educatione filiaē. Vnicam enim ille ex ea suscepit filiam, ELISABETHAM HEDUIGĀ, quam amabat affectu paterno, vt filiam & vnicam. Eius ipse vidi, cum puellā admodū, tum proximè etiam, pietatem erga patrem: nec mirū fanè, quæ tam ab ipso, quàm à matre ad modestiam & pietatem in Deum sedulò educaretur. Pater verò iam filiaē maritum, sibi generum inuenerat, iuuenem nobilem, litteris expolitum, qui et peregrinas gentes adiisset, & iam esset tanto vsu rerum, vt cum in senatum adsciuiisset VII vir Brandeburgius, & Salifuellæ præsidere iussisset, CHRISTOPHORUM Dorstadiū: qui paucis etiā mensibus ante obitum soceri sponsam domum duxit, cum quidem ipse socer per aduersam valetudinem nuptiis non interesset. Hoc ei graue fuit, sed alterum lætitiæ, quòd in matrimonium benè collocatam filiam, quòd generum optatum viderit: maximum verò, quòd florentem, ducem HENRICVM IVLIVM, disciplinae suæ
alu.

aluminum: cui optimis de causis placere semper studuit, à quo semper in precio & honore habitus fuit. Et verò princeps plures optat eiusmodi, in arduis quibusq; negotiis: & HENRICI gloriae superstitis fauebant boni, defuncti nemo, nisi pessimus, inuideat, cuius etiã optimi quiq; similes esse in plarisq; desideret: certè, vt sint senatores regũ & ciuitatũ tali integritate, prudẽtia, industria, & laboris patientia, optabile est. Tantus enim profectò ille vir fuit, quod ex iis, quæ diximus, facile apparet. Quod si quis quid in illo carpit, is primũ de se se quærat ex se aut ex aliis, an ipse sit inter præstantes, & si sibi esse videatur, an non se affinem vitio sentiat. A quo autem is sensus absit, parum aberit, quin malus sit, præsertim, qui sui oblitus, studium ponat in excutiendis bonis, & censuram agat non suffragante populo. Nam quod docti homines disputant, & rationibus bonis probant: eam esse virtutum vim, vt in quo sint, simul sint, nec diuelli à se mutuo valeant, vnde efficitur ea viri boni præstantia, in qua nihil desideretur; non equidem falsum esse iudico, sed talium hominum exempla

empla & in historia & communi hominum
consuetudine frustra quæro, & valde metuo,
ne grauius fallatur, qui se ad eam quasi auri-
ficis statèram examinandum sistat. Manco
denique in sententia, tales esse optandos et-
iam, cuiusmodi & sperare possumus, & quan-
diu eiusmodi futuri sint, non desperandum
de salute publica. Id verò etiam curæ erit no-
bis, quibus educandæ iuuentutis primaria cu-
ra credita est, nec ignoramus aliqui, quod ne-
minem nostrum fugere aut negligere oportebat,
haud satis esse, vt erudiantur ad res ge-
rendas, nisi prius depulsa inscitia, domitis cu-
piditatibus, omnia ad verum finem referant:
in quo disciplinam etiam plurimum valere
res ipsa indicat. Alterum est, quoniam non
eadem est eorum, qui litteris eruditi sunt, o-
mnium ratio, principes delectum habeant,
nec nisi optimo, doctissimo, maximeque in-
dustrio cuique credant sua & reipub. nego-
tia. Optio namque hodie virorum præ-
stantium etiam datur, in tanta præsertim luce
litterarum, & quarunq; artium apud multas
gentes

gentes studio, vt primariis matronis & fortunatis vnionum: etsi hi non nisi ad mundum muliebrem, alterum spectat ad salutem publicam.

F I N I S.

Perscripsi Helmæstadij, in academia IVLIA

IV Non. Nouemb.
cdo Io xci.

Ioannes Caselius



gentilissimo et clarissimo viri
magistri Johannis de ...
magistri Johannis de ...
magistri Johannis de ...

FINIS

Magistri Johannis de ...

IV Non Novemb

1513

Johannes Calcius




154299

X 220 3730

Sb.







IO. CASELII
SECUNDVS LVHIADES,
qua oratione laudatur
HENRICVS, & ipse eiusfa-
milix princeps.



Helmæstadij in Acad. IVLIA
ANNO

cb lb XCII.

